



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 53. Principum atque Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. LIII.

Principum atque Illustrium obitus.

Gottfrid.
cont. Hist.
Chron. 1. 12.
pag. 454.

Hoc item anno die tertia Octobris non sine magno subditorum luctu vitæ suæ curriculo finem apoplexia ta-ctus imposuit Marquardus Sebastianus Schenk de Stauffenberg Bambergensis Episcopus, cui hac in Ecclesia successit die sexta Novembris Lotharius Franciscus de Schönborn. Decessit quoque anno ætatis sexagesimo septimo die quinta Aprilis Anna Maria Ludovica Joannis Baptistæ Aurelianensis Ducis Filia, quæ multis quidem desponsa, in-nupta tamen obiit. Hanc pari fato sequebatur die vigesima sexta Julii Carolo-Monti Udalrica Eleonora Suecicæ Regina Caroli XI. Conjux: Hujus anni autem principium sibi exitiale habuit Mahometes IV. Turcarum Imperator, qui anno hujus sæculi octogesimo septimo ob iteratas clades Muselmanis illatas folio dejectus, die quarta Januarii in carcere contabuit, periitque, cujus fatum eodem anno Mustapha ejus Filius Constantinopoli subiit. Præterea obiere Philippus Guilielmus Augustus Electoris Palatini Filius, & Ernestus Hassiæ-Rheinfeldensis Landgravius die secunda Maij anno ætatis septuagesimo, qui

qui ejurata hæresi jam ante quadra- Sæc. XVII.
 ginta & unum annos publice fidem Ca- A. C. 1693.
 tholicam Colonæ cum Conjuge sua
 amplexatus erat. Denique vitam fi-
 niere Anna Magdalena Hannoviæ Co-
 mitissa, Leopoldina Eleonora Josepha
 Princeps Palatina, & Odoardus Par-
 mensis Ducis Filius primogenitus non-
 nisi viginti septem annos natus.

§. LIV.

*Diversæ Innocentii XII. Pontificis
 Constitutiones.*

Quoniam Papa Romanæ Urbis Ec- Bull. magu.
 clesias &c. visitare, ratum fixum in Const.
 que habuerat, pluribus Constitutioni- Innoc. XII.
 bus Apostolicis facultates descripsit eo- Const. 29,
 rum, qui pro hac visitatione designandi & seqq.
 erant: cum autem non raro continge-
 ret, quod Cardinales Religiosorum Or-
 dinum Protectores concessam potesta-
 tem contra Constitutiones Ordinum ex-
 tenderent, Superiores & officiales suis
 officiis moverent, rebus disciplinam
 concernentibus sese ingererent, Reli-
 giosos loco amoverent &c. hinc Pon-
 tifex die decima sexta Februarii Pro-
 tectorum potestatem restrinxit. Appro-
 bavit etiam die quarta Aprilis decretum
 de cultu immemorabili Beatæ Joannæ
 Alphonfi V. Lusitaniæ Regis Filiæ ex
 Ord.